Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

non semel sed sepius pateret in die. Hoc iam per sex annos morbo horrido laborabat. sed ad verbum Malachie perfecte convaluit. Ab illa hora nil tale perpessus est. nil tale deinceps ut credimus perpessurus. quia Malachias deinceps reversurus non est. In ipso ascensu navis accedunt duo ex his qui illi cariores erant. petentes aliquid ab eo. Quibus ille. Quid vultis? Non dicimus inquiunt. nisi spondeas te daturum. Spondet. Et illi. Volumus nobis certo promittas tua dignatione te in Hyberniam incolomem reversurum. Instare et ceteri omnes. Et ille parumper deliberans: penitere primo cepit quod se alligasset quo exiret non inveniens. Angustie undique. Cum nil occurreret ab alterutro tutum. periculo voti videt aut promissi. Visum est tandem id potius eligendum. quod in presentiarum plus urget. reliquum superne committendum dispositioni. Annuit istis quidem. sed magis illos noluit contristare. Et spondens eis ut voluerunt. Ascendit navem. Et cum iam fere medium iter equoreum peregissent. subito contrarius ventus navem repellit. et reducit in terram Hybernie. Descendens de navi in ipso portu: in quadam sua ecclesia pernoctavit. Et letus gratias egit divine consilio providentie quo factum est. ut iam fecerit satis pro sua promissione. Mane vero intrans navem. ipsa die prospero cursu transfretavit. et venit in Scotiam. Die tercia pervenit ad locum qui Viride stagnum dicitur. quem fecerat preparari: ut ibi statueret abbatiam. Et relicto illic de filiis suis fratribus nostris monachorum conventu et abbate. nam secum ad hoc ipsum eos adduxerat: valedicens eis profectus est. Et cum transiret occurrit ei rex David. a quo susceptus est cum gaudio et retentus per aliquot dies. multaque operatus placita deo: inchoatum repetit iter. Et pertransiens Scotiam in ipso introitu Anglie divertit ad ecclesiam Gisiburnensem. ubi habitant viri religiosi canonicam ducentes vitam. ab antiquo familiares ei pro sua religione et honestate. Ita adducta est ad eum puella patiens morbum quem cancrum vulgo appellant. ipso horrendum visu. et sanavit eam. Nam ut aqua cui benedixit aspersa sunt ulcerum loca. dolorem non sensit. die vero sequenti vix ulcera apparebant. Abiens inde ad mare venit: sed negatur transitus. Causa ni fallor fuit orta simultas quedam inter summum pontificem et regem Anglie. quod rex nescio quid mali suspicaretur de bono homine illo: si transiret. Nam neque alios episcopos transire sinebat. Quod quidem impedimentum etsi fuit contrarium Malachie voluntati. sed non voto. Dolebat differri a desiderio suo: nesciens

magis per hoc impletum iri. Nam si incontinenti transisset. oportebat transire eum Claravallem. ut summum pontificem sequeretur. Iam enim abierat et erat Rome aut prope Romam. Nunc vero intercedente dilatione factum est ut tardius transfretans ad locum et horam scilicet sui obitus oportune occurreret. Qualiter a nobis susceptus tamquam verus sol ab occidente veniens visitans nos oriens ex alto. O quantum nostre Clarevalli irradians sol ille claritatis adauxit. quam iocundus ad eius introitum dies festus illuxit nobis. Hec dies quam dedit dominus. exultatum et letatum in ea. Quam celer et saliens tremulus licet ac debilis: magister ipse occurri. Quam letus in oscula ruii. quam letus brachiis missam celitus in amplexatus sum gratiam. Quam alacri vultu et animo mi pater introduxi te in domum matris mee. et in cubiculum genitricis mee. Quam festivos deinde tecum duxi dies: sed paucos. Quid vero ille vicissim in nobis? Nempe hilarem. nempe affabilem. peregrinus noster in omnibus se prebebat. omnibus incredibiliter gratum. Quam bonum et quam iocundum agebat hospitem inter nos. nimirum quis videre venerat a finibus terre. non auditurus Salomonem. sed exhibiturus. Denique audivimus sapientiam eius. tenuimus presentiam eius. et tenemus. Iam quatuor aut quinque dies huius nostre sollempnitatis defluxerant. cum ecce correptus febre lecto decubuit. et nos cum illo omnes. Extrema gaudii nostri meror occupat. moderatior tamen. quia levior interim febris esse videretur. Videres discurrere fratres. dandi avidos. vel accipiendi. Cui non dulce videre illum. cui non dulcius ministrare illi? Utrumque suave: utrumque salutare. Et humanitatis erat prebere obsequium. et profectus cuique sui cum gratiam reportaret. Assistere omnes. omnes solliciti erant. circa frequens ministerium. medicamenta perquirere. adhibere fomenta. urgere sepius ad gustandum. Ad quos ille sine causa inquit hec. sed caritate vestri facio quecumque iniungitis. Sciebat enim imminere tempus sue migrationis. Cumque fratres qui cum eo venerant fidenter instarent dicentes. non oportere diffidere de vita. nec enim signa mortis in eo aliqua apparerent. Oportet igitur hoc anno Malachiam exire de corpore. Et infert. Ecce appropinquat dies. quem ut optime nostis optavi semper. ipsum fore diem resolutionis mee. Scio cui credidi et certus sum. non fraudabor reliquo desiderii mei. cuius partem iam teneo. Qui me sua misericordia perduxit ad locum quem petii: transitum quem eque volui non negabit. Quod ad hoc corpusculum attinet. Hic requies mea quod ad animam. dominus qui salvos facit